72

FLORILE-
GIUM
POLITICO-
TACITUM.

FERDINANDI JUSTI
HAMPRUNER, J. U. Doctoris,
Cæſareorum Iudiciorum Auſtriæ Advoca-
ti, & Conſiſtorii Viennenſis Aſſeſ-
ſoris.



NORIBERGÆ
Literis MICHAELIS ENDTERI.
M. DC. LIX.

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Domino, Domino

FERDINANDO SIGISMUNDO KURZ, Comiti ad Falley, Liber: Baroni à Senfftenau, Domino in Horn, Droſendorf, & Kozen, Sac: Cæſ: Majeſtatis Intimo Conſiliario, & Sac: Rom: Imperii Vice-Cancellario.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino, Domino

GEORGIO ZELEPCZENY, Collocenſis, & Bachienſis Eccleſiarum Canonicè Unitarum Archiepiſcopo, Epiſcopatus Nittrienſis Adminiſtratori, Sacræ Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis intimo Conſiliario, ac per Regnum Hungariæ, ſupremo Aulæ Cancellario &c.

Illuſtriſſimo Domino, Domino

JOANNI HERDWIGIO, Comiti de Noſtiz, Domino Hæreditario Dominii Falkenau, Domino in Heinrichsgrün, Liepniz, Scacka, Liney & Lyben, S. C. M. Intimo Conſiliario, Camerario, & ſupremo Cancellario Regni Bohemiæ.

A 2 *Illuſtriſ-*

DEDICATIO.

Illuſtriſſimo Domino, Domino Sacri Romani Imperii Hæreditario Theſaurario

JOANNI JOACHIMO,

Comiti à Sinzendorff, &c. Domino in Ernsbrun & Rogendorff, Peggſtall, Leyben, Weitenek & Zelking, S. C. M. Intimo Aulæ Cancellario & Conſiliario, nec non Hæreditario Pincernæ in Auſtria ſupra Onaſum.

Perilluſtri ac Prænobili Strenuo Domino

JOANNI BAPTISTÆ

SUTTINGER in Turenhof, S. C. M. Conſiliario, & Equeſtris ordinis Auſtriæ, nec non Excelſi Regiminis Auſtriacarum Provinciarum Cancellario, ac Superintendenti Univerſitatis Viennenſis.

QUòd hoc meum otium Tacitum & opellam Veſtro Nomini inſcribam, non temeri-

meritatis quodam impetu feror, nec veſtra enim privata in me collata mihi conſcia beneficia oblivione obruenda vel publica gratioſa veſtra erga me propenſio ſilentio ſepelienda. Veſtram Tutelam deniq; meus Tacitus tentat, ambit, ideoq;flores præmittit ſi tædio ſint. Patientia brevis! Flores facilè marceſcunt. Non ignorat hic Tacitus vos unos eſſe, quorũ conſilio, fide, prudentiâ, Imperium Romanum, Regna & Provinciæ hactenus maximè ſint uſæ, & quòd vos ab Imperatore præmortuo Ferdinando Tertio glorioſæ recordationis, & ab Imperatore noſtro Auguſtiſſimo

LEOPOLDO Primo,ad Cancellos intimi conſilii & magnarũ deliberationum aſſumpti, neglectâ propriâ ſalute, poſthabitis periculis,nihil vobis, niſi de Principis, & Imperii&Regnorum&Provinciarũ commodis cogitandũ. Perpendit deniq; Tacitus,dignitates &officia veſtra magna eſſe, ut ſunt, tamen dubitat,an vos magis ornent: an vos illa. Et inter cæteras vobis proprias virtutes extollit Benignitatem illam veſtram, & innatam vobis erga ſtudia & litterarum ſectatores, animi propenſionem: quæ ita in vobis elucet, ut videatur vos ad hanc unam ſimul & eosdem natura

natura genuiſſe, voluntas exercuiſſe, fortuna ſervâſſe, qui ideò ſtudiis operam ſedulam ſemper navâſtis, ut Cancellos Vobis ſemel concredendos eò ornatiùs conſervare poſſitis. Relatum eſt enim meo Tacito de Te Vice-Cancellario Romani Imperii, nullam adeò rem gravem geſtam ſine Te, pacem, fœdera, ſalutem communis Boni, laudabiliter tuis in Cancellis conſervari & propagari. Quia litteris tua eſt ornata Pallas, cui ſedem in Auſtria exſtruxiſti, bonis avibus præcedentibus, dum in tuam Civitatem Hornenſem meliores prioribus (pias nempè ſcholas) à ſancta

Romana ſede reſtauratas Duce præfixo; ſancto Antonio de Padua, introduxiſti, & felici calculo jamjam trecentos numero ſcholares.

Te verò Cancellarium, & Præſulem Vngariæ, Mecœnatem litteratorum, Tutorem bonarum artiũ Tota Vngaria honorat, amat, Tuis laboribus, Cancellarie Noſtiz, nunquam inter Arma tacuere leges Regni, & Tibi univerſa litterata cohors Pragenſis, propter avita & confirmata privilegia, hoſte Pragâ pulſò, gratias egit. Hîc profectò & in Te Comite à Sinzendorff exemplum nobiliſſimum habet Regio & Religio Auſtriaca, ingenia etiam nobi-

nobiliſſima Auſtriaca ad ſtudia, ad Cancellos Principis & nata eſſe applicari poſſe & evehi, non ignorat meus Tacitus. Te Suttinger multos jam annos in excelſo Auſtriæ Regimine Juſtitiæ Cancellis aſſediſſe: Teq; omnes tuas cogitationes ad publica proferre, Te Provinciam conſiliis bonis, ſingulos vigili curâ tueri, in aliorum neglecta aut quieta vigilem manum oculosq; porrigere, & vel maximè bona ſtudia in Univerſitate Viennenſi propagare, & adhuc eorum incrementum omnibus mediis promovere.

Tacet Tacitus majora Encomia veſtrarum virtutum, ubi Fama

pediſſequa honoris Veſtri perorat, ac proinde Tacitum relecturus honor, ſed vos Illuſtriſſimi & Perilluſtres Domini affectum meum in hoc exiguo conatu in Vos, in Tacitum videte, boniq; conſulite, & eritis cauſa, cur, vacante ulteriori otio, Vobis Tacitum Auſtriæ poſt flores marcidos ſiſtam, & præſtantiora Vobis Ducibus & Patronis tentare, non intermittam.

Illuſtriſſimarum & Perilluſtrium Dominationum Veſtrarum

Devotiſſimus cliens

FERDINANDUS JUSTUS HAMPRUNER, J.U.Doct.

Lecto-

Lectoribus ſalutem!

ADſint, faveant Taciti fautores & amici, abeant, doleant malevoli & carptores invidi. Hoc unum Lectorem ſcire opto, plura & præclara multa adferre me potuiſſe.; ſed non licuit: Flores ubi iſti acceptabiles, meliora ſequentur. Et ſi quædam tranſiliiſſem, cauſa fuit; ſi verba non ex Tacito quædam interjuncta; omnia tamen ferè ſub perſona Authoris prolata & compilata. Valete & benè vivite!

Quid dixit, aut quid tacuit? O rebus bonis
Non infideles Arbitri.

A. *Au-*

A.

Audacia.

Lib. 1. Annal. EFfrenis eſt, qui intutæ latebræ præſidium ab audacia mutuatur.

Ætas.

Lib. 13. Annal. Imbellis ætas plerumq; in prædam diviſa.

Lib. 7. Nullum adeò virtutum ſterile ſeculum, ut non bona exempla proderet.

Ærarium.

Lib. 2. Ærarium quòd ſi ambitione exhauritur, per ſcelera non eſt ſupplendum.

Amicitia.

Lib. 13. Redintegrata amicitia novis quoque beneficiis locum aperit.

Amici, fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminuuntur, transferuntur, deſinunt. Lib. 20.

Malè alacres, quibus infauſtæ amicitiæ, graves exitus imminent. Lib. 4.

Miſerius ſit ob amicitiam accuſari? an amicum accuſare? haud decernendum. Lib. 5.

Sunt ſub ſpecie bonarum artium falſi & amicitiæ fallaces. Lib. 16.

Quibus deeſt inimicus, ſubinde per amicos opprimuntur. Lib. 17.

Errant, qui amicitias magnitudine munerum, non conſtantiâ morum coli deberi putant. Lib. 19.

Adulterium.

Pollutæ ceremoniæ & magna adulteria Deos offendunt. Lib. 17.

Adver-

Adverſitas.

Lib. 2. Majori animo adverſa tolerantur, quàm relinquuntur.

Adulatio.

Lib. 17. Adulatio & Blanditiæ peſſimum veri affectus venenum ſua cuique utilitas.

Lib 17. Aſſentatio erga Principem quemcunq; ſine affectu peragitur.

Lib 2. Vetus in Republica malum Adulatio.

Adulatores.

Lib. 5. Adulatores laudantes peſſimum inimicorum genus.

Anima.

Lib. 15. Non cum corpore extinguuntur magnæ animæ.

Animus.

Lib. 3. Vigor animi ingentibus negociis par eſt.

Animi bona.

Fides, libertas, amicitia, præcipua humani animi bona. Lib. 13.

Aulicus ſimulatus.

Libentiùs cum fortuna Principis, quàm cum Principe loquitur; nam ſuadere Principi, quod oportet, multi laboris. Lib. 11.

Æmulatio.

Noſtrum non eſt æſtimare, quem Princeps cæteros, & quibus ex cauſis extollat. Ipſi ſummum rerum judicium Dii dedêre nobis, obſequii gloria relicta eſt. Lib. 5.

Atheiſmus.

Multis inſita opinio non initia noſtri, non finem, non deniq; hominis Diis curæ, ideò creberri- Lib. 5.

berrima eſt triſtitia in bonos, læta apud deteriores ſunt.

Ambitio.

Lib. 15. Uti metu repetundarum infracta avaritia, ita vetitâ gratiarum actione ambitio cohibetur.

Lib. 6. Non perinde curæ gratia præſentium, quàm in poſteros Ambitio.

Lib. 15. Vetus ac jampridem inſita mortalibus potentiæ cupido cum imperii magnitudine adolevit, erupitq;

Aſtrologia.

Lib 5 Fatum congruit rebus, ſed non è vagis ſtellis, verùm apud principia, & nexus naturalium Cauſarum electio vitæ nobis relinquitur, quam ubi elegerimus, certus imminentium finis.

Ambitio.

Superbiunt homines etiam annuâ deſignatione, quid ſi honorem per quinquennium gerant? Lib. 2.

B.

Beneficium.

Beneficia eousq; læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe, ubi multum antevenêre, pro gratia odium redditur. Lib. 4.

Tantò proclivius eſt injuriæ, quàm beneficio vicem exſolvere, quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. Lib 20.

Bellum.

Bellorum egregii fines, quoties ignoſcendo tranſigitur. Sic victo nihil ereptum. Lib. 12.

Lib. 12. Quantâ pervicaciâ in hoſtem, tantâ beneficentiâ adverſùs ſupplices utendum.

Lib. 15. Ut capiantur Caſtella, gloriæ & prædæ multum accedit.

Lib. 15. Gloria cum modo, præda cum cura habenda.

Lib. 17. Fortiſſimus in diſcrimine Exercitus eſt, qui ante diſcrimen quietiſſimus.

Lib. 18. Æmulatio & proximi Exercitus gloria repellit ſegnitiem.

Lib. 18. Rebus ſecundis etiam egregii Duces inſoleſcunt.

Lib. 18. Multos dulcedo prædarum ſtimulat, alios ambiguæ domi res.

Lib. 18. Quò plus virium & roboris, ex fiducia tarditas ineſt.

Lib. 18. Pecuniarum conquiſitio Belli Civilis nervus eſt.

Nec

Nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Lib. 20.

Maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes præcipuæ Bellorum Cauſæ. Lib. 20.

Multa bella impetu valida per tædia & moras evaneſcunt. Lib. 2.

Iniquiſſima Bellorum conditio eſt, ubi proſpera omnes ſibi vendicant, adverſa uni imputantur. Lib. 20.

Prælium atq; arma, quæ fortibus honeſta, eadem etiam ignavis tutiſſima. Ex vita Iulii Agricolæ

Initia Bellorum Civilium fortunæ permittenda, Victoria conſiliis & ratione perficitur. Lib. 13.

In turbas & diſcordias peſſimo ibid.

cuiq; plurima vis: Pax & quies bonis artibus indigent.

Lib. 1. Una in armis ſalus, ſed ea conſilio temperanda.

Lib. 5. Annal. Miſera Pax vel Bello benè mutatur.

C.

Concordia.

Lib. 1. Quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum apud infenſos ſunt.

Lib. 4. Arduum eſt eodem loci potentiam & concordiam eſſe.

In Vita Iulii Agricolæ Commune periculum concordiâ depulſandum.

Conſilium.

Lib. 4. Conſilia tarda cùm ſecuritate præmatura vel cum exitio properant.

Lib. 18. Scelera impetu, bona Conſilia morâ valeſcunt. Ad-

Adverſâ undâ nihil ſtrenuus ab ignavo, ſapiens à prudenti, Conſilia à caſu differunt, cuncta pari violentiâ involvuntur. Lib. 1.

Quanquam cœpta ſecùs cadunt, non omittenda tutiſſima præſentibus. Lib. 2.

Non ſunt invertenda ſapienter reperta et ſemper placita Conſilia. Lib. 3.

In bonis Conſiliis inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergendum iter, ambitione ac periculis vacuum. Lib. 4.

Magnitudo facinoris motum: Prolationes diverſa interdum Conſilia adferunt. Lib. 4. Annal.

Major ex eo, quamquam exitioſa ſuaderet, ut non ſui anxius cum fide audiebatur. Lib. 4. Annal.

Lib 4. Annal. Non tamen ſine uſu fuerit introſpicere Conſilia primo aſpectu levia, ex quibus magnarum ſæpè rerum motus oriuntur.

Lib. 4. Studia procerum & largitio Principis adverſùs caſum ſolatium ſunto.

Lib. 6. Annal. Incertus animi feſſo corpore Conſilium, cui impar eſt, fato permittit, jactis tamen vocibus, per quas intelligitur providus futurorum.

Lib. 13. Pleraq; in ſumma fortuna auſpiciis & Conſiliis, quàm telis & manibus gerenda.

Lib. 15. Multa experiendo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur.

Lib. 17. Non modò caſus eventusq; rerum, qui plerumq; fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſæq; cognoſcendæ. Secun-

Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant. Quando miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Lib. 17.

Suadere Principi, quod oportet, multi laboris. Lib. 17.

Opportuni magnis conatibus tranſitus rerum. Lib. 17.

Cunctatione non eſt opus, ubi pernicioſior ſit quies, quàm temeritas. Lib. 17.

Virtus omne honeſtis Conſiliis robur eſt, & ſine his, quamvis egregia, invalida ſunt. Lib. 17.

Nullus cunctationi locus eſt in eo Conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum. Lib. 17.

In Conſiliis infelicibus optima videntur, quorum tempus effugit. Lib. 17.

Lib. 17. Interdum etiam honeſtas Cauſas pernicioſi exitus conſequuntur.

Lib. 17. Non omnes nuncios palàm audiri, omnia Conſilia cunctis præſentibus tractari, ratio rerum aut occaſionum velocitas poſtulat.

Lib 18. Omnes, qui magnarum rerum Conſilia ſuſcipiunt, æſtimant, an quòd inchoatur Reipublicæ utile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certè non arduum ſit.

Lib. 18. Qui ſuadet conſiderandus, an adijciat Conſilio periculum ſuum, & ſi fortuna cœptis conſentanea, huic ſummum decus acquiritur.

Lib. 19. Durum eſt, ubi gravia & intoleranda

randa neceſſitate armorum, excuſatâ etiam in pace, remanent.

In perditis rebus omnes præcipiunt, nemo exſequitur. Lib.19.

Conſulatus.

Super Conſulatum gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter paratæ & modeſtæ habitæ. Lib 4.

Calamitas.

Sunt molles in calamitate mortalium animi. Lib.4.

Cunctatio.

Non opus cunctatione, ubi perniciosior eſt quies, quàm temeritas. Lib.16.

Conſcientia.

Non fortuna, non ſolitudines Lib.4.

protegunt, quin tormenta pectoris, ſuas quisq; pœnas ſentiat & fateatur.

Lib. 4. De ſe nihil glorioſum addat Conſcientia, factis ſatis eſt.

Cauſa Rerum.

Lib. 17. Sæpè honeſtas Rerum Cauſas, ni judicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur.

Cultus Divinus.

Lib. 13. Dividendi ſacri & negotioſi dies, quibus Divina colantur, & humana non impediantur.

Corruptela.

Lib. 17. Peſſimus quisq; differentiâ præſentium mutationem pavens adverſùs publicum odium privatam gratiam præparat, unde nulla innocentiæ cura, ſed vitæ impunitatis.

Nihil

Nihil in penatibus ſit venale, aut ambitioni pervium: Diſcreta ſit domus & Reſpublica. Lib. 13.

Non jus aut verum in cognitionibus, ſed ſola oblata magnitudo opum ſpectabatur. Lib. 12.

D.

Dignitas.

Pericula & omnia potius ſunt perferenda, quàm vetus, ac olim parta dignitas ſubitæ felicitati ſubmittenda. Lib. 13.

Utendum magnis exemplis, non propriæ, ſed Principis fortunæ. Lib. 14.

In gloriam Principis cedat, eos ad ſumma evexiſſe, qui & modica tolerarent. Lib 14.

Satis pretii eſt, qui multâ ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, hono- Lib. 15.

honores, cuncta prompta & obvia habet.

Lib. 15. Laus falſa & precibus expreſſa perinde cohibenda, quàm malitia, quàm crudelitas.

Deſidia.

In Vita Iulii Agricolæ Inviſa primò deſidia poſtremò amatur.

Dominatio.

Lib. 4. Prima dominandi ſpes in arduo (ubi quis ingreſſus eſt) adſunt ſtudia & miniſtri.

Dux Belli.

Lib. 18. Diviſa ſunt inter Exercitum Duceſq; munia, militibus cupido pugnandi convenit, Ducibus providentia.

Detractio.

Lib. 17. Hic & ille ſimpliciſſimè inter ſequun-

quuntur, cæteri libentiùs cum fortuna noſtra quàm nobiſcum.

Delictum.

Culpa quàm pœna prior, ſed emendari quàm peccare poſterius eſt. Lib. 15.

Diffidentia.

Ob diffidentiam ex optimis periculum, à peſſimis dedecus publicum metuendum. Lib. 1.

Dolor animi.

Juſto dolori animi cauſa connexa tuimentum eſt, ne objecta crimina pro adprobatis accipiantur. Lib. 5.

Delatores.

Delatorum domus ſubvertebantur, utq; antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Lib. 3.

Dela-

Lib. 4. Delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem magnam ſatis coërcitum.

Lib 17. Nec minùs præmia Delatorum inviſa quàm ſcelera.

Lib. 18. Paſſim delationes & locupletiſſimus quiſq; in prædam.

Lib. 4. Dolus intervalla ſcelerum poſtulat.

Divitiæ.

Lib. 1. Neq; in familia & argento, & quę ad uſum parantur, nimium aliquid aut eſt modicum, niſi ex fortuna poſſidentis.

Ibid. Ad requiem animi aut ſalubritatem corporum parandæ divitiæ.

Ibid. Sunt delinimenta curarum & periculorum.

Aurum

Aurum & opes præcipuæ Bello- Lib. 2.
rum Cauſa.

Diſſimulatio.

Nullam æquè ex Virtutibus ſuis, Lib. 4.
quàm diſſimulationem dili-
gens, eò ægriùs accipit reclu-
di, quæ premit.

Diſciplina domeſtica.

Domum ſuam coërcere, pleriq; Ex Vita Iulii Agricolæ
haud minùs arduum eſt, quàm
Provinciam regere.

E.

Electio Principis.

Famâ, ſpe, veneratione omnes Lib. 3.
deſtinantur Imperio, futurum
Principem fortuna in occulto
tenet.

Exilium.

Sepoſitus in Civitatem, ubi ſpe- Lib. 4.
cie

cie ſtudiorum nomen exilii tegeretur, habitus tamen ſupremus honor.

Experientia.

Lib. 17. Multa experiendo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur.

Eruditio.

Lib. 14. Præceptor hoc munificentiæ adhibet, nimirum ſtudia in umbra educata; è quibus claritudo venit.

Ibid. Et quòd juventæ rudimentis adſit, grande eſt hujus rei pretium.

F.

Funus.

Lib. 2. Funus ſine imaginibus & pompa per laudes & memoriam virtutis celebre eſt.

Fama

Fama, Rumor.

Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo ſeneſcant. Lib. 2.

Maxima quæq; ambigua quoquomodo audita pro compertis habentur, etſi alii in contrarium vertant, gliſcit utrumq; poſteritate. Lib. 1.

Credula fama inter gaudentes & incurioſos. Lib. 17.

Contemptu famæ contemnuntur Virtutes. Lib. 4.

Non minus periculum ex magna fama, quàm ex mala. Ex Vita Iulii Agricolæ

Famæ boni ſæpè indulgent. Ibid.

Haud ſemper errat fama; aliquando etiam eligit. Ibid.

Fatum.

Dictum incertum judicium eſſe fato, ne res mortalium & ne- Lib. 5.

ceſſitate immutabilis an ſorte volvantur.

Fortuna.

Lib. 2. Inſtabilis eſt fortuna, ſummaq; etiam miſcet.

Lib. 5. Neq; mala vel bona ſunt, quæ vulgus putat, multi conflictantur, adverſùs videntur beati: Pleriq; quamquam magnas per opes miſerrimi: ſi nimirum illi gravem fortunam conſtanter tolerant, hi proſperâ inconſultè utantur.

Felicitas.

Lib. 18. Difficilius eſt temperare felicitati, quâ te non putes uſurum.

Fortes.

Lib. 15. Etiam fortes viri ſubitis terrentur.

Fortes

Fortes & ſtrenui etiam contra fortunam ſæpè inſiſtunt. Lib. 18.

Dii fortioribus adſunt. Lib. 20.

G.

Generoſitas.

Nulli mortalium armis aut fide ante Germanos ſunt. Lib. 13.

Gratia.

Tarda ſunt, quæ in commune expoſtulantur; privatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim accipias. Lib. 1.

Honor, Gloria.

Negatus honor gloriam intendit. Lib. 4.

Nova in Rempublicam merita non uſitatis vocabulis honoranda. Lib. 11.

Suum cuiq; decus poſteritas rependit. Lib. 4.

Lib. 4. Vaneſcet Auguſti honor, ſi promiſcuis adulationibus vulgatur.

Lib. 4. Cætera Principibus ſtatim adſunt: Unum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam.

Lib. 1. Quos pudor & gloria intrat, elevant maculam, iraſq; civiles in exitium hoſtibus vertunt.

Lib. 4. Optimi mortalium tuiſſima capiunt.

Hiſtoria.

Lib. 4. Situs gentium, varietates præliorum, clari Ducum exitus, retinent ac redintegrant legentium animos per Hiſtoriam.

Heros.

Lib. 2. Manu, voce, vulnere ab Heroe ſuſtinenda pugna.

Incerti

Incerti ictus, vulnera improviſa ſuorum atq; hoſtium ignoratio Herois propria ſunt. Lib. 4.

Non foſſa, non vallum, ſed arma & corpora in hoſtem data. Lib. 14.

Valida quoq; & laudata antiquitas, quoties fortuna contrà dat, ſaluti conſuluiſſe. Lib. 14.

Neceſſitas fortiter tolerata laudatis antiquorum mortibus pares exitus aſſequitur. Lib. 17.

Quomodo lucem noctemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus Viris aperuit. Lib. 20.

Bonorum atq; opum cumulatione præcedente, felicitati nihil deeſt, niſi moderatio ejus. Lib. 14.

Detur hoc Illuſtrium Virorum poſteritati, ut quomodo exſequiis à promiſcua ſepultura Lib. 16.

ſeparantur, ita in traditione ſupremorum accipiant habeantq; propriam memoriam.

I.

Imperium.

Lib. 1. Ea eſt conditio imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quàm ſi uni reddatur.

Lib 2. Nihil illuſtre aut ex dignitate Populi Romani, niſi coram & ſub oculis Cæſaris.

Lib. 4. Neq; aliud exteri Reges niſi dedecus ſibi, Imperio Romano verò gloriam peperêre.

Lib. 17. Nemo unquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit.

Lib. 20. Nullum majus boni Imperii inſtrumentum, quàm bonos amicos habere.

Non

Non legiones, non claſſes, perinde firma Imperii munimenta, quàm numerus liberorum. Lib. 10.

Boni Imperatores voto expetendi, qualeſcunq; tolerandi. Lib. 10.

Imperium capientibus nihil medium inter ſumma aut præcipitia. Lib. 11.

Ignavia.

Plura de extremis loqui, pars ignaviæ eſt. Lib. 10.

Timidi & ignavi ad deliberationem formidine properant. Ibid.

Innocentia.

Plerumq; innocentes recenti invidiæ impares. Lib. 2.

Inſontibus ſunt innoxia Conſilia, flagitiis verò manifeſtis ſubſidium ab audacia petitur. Lib. 11.

Juſtum dolorem pudor impedit. Lib. 11.

Induſtria.

Lib. 1. Induſtria ac Vigilantia noxiæ parando regno finguntur.

Inertiæ Cenſura.

Lib. 2. Langueſcit in otioſis induſtria, intenditur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus aut ſpes, & ſecuri omnia aliena ſubſidia exſpectant ſibi ignavi, aliis graves ſunt.

Indecora.

Lib. 17. Intuta, quæ indecora.

Injuria.

Lib 4. Convitia namque ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, adgnita videntur.

Improbitas.

Lib. 3. Nil quidquam grave ac ſerium ex eo metuas, qui ſuorum ipſe flagi-

flagitiorum proditor, non virorum animis, ſed muliercularum adrepit.

Juventus.

Juvenis crimen venit ex ſilentio & voce. Lib. 4.

Laudandus juvenis omiſſis præcipitibus tuta & ſalutaria capeſſens. Lib. 15.

Optima ea ætas, quæ cupiditates adoleſcentiæ jam effugit: Ea vita, in qua nihil præteritum excuſandum. Lib. 17.

Inſidia.

Totum inſidiarum remedium, ſi non intelliguntur. Lib. 13.

Judex.

Judices per diverſa implacabiles ſunto. Lib. 3.

Invidia.

Lib. 1. Cùm quis rectè factorum gratiam unius trahit, invidiâ ab omnibus peccatur.

Lib. 18. Inſita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vident.

Ira.

Lib. 4. In irato etiamſi impetus offenſionis langueat, memoria prævalet.

Juſtitia.

Lib. 4. Jura ſubvertenda potiùs, quàm cuſtodes eorum amovendi.

Infamia.

Lib. 11. Infamiæ magnitudo apud prodigos noviſſima voluptas eſt.

L.

Libertas.

Manebant etiam ex diſcordia ſigna morientis libertatis. Lib. 1.

Specioſa verbis, re inania, aut ſubdola: Quandoq; majore libertatis imagine teguntur, tantò eruptura ad infenſius ſervitium. Lib. 1.

Aliud reliquum eſt, quàm tenere libertatem, mori nempè ante ſervitium?. Lib. 2.

Rara temporum felicitas, ubi ſentire, quæ velis, & quæ ſentias, dicere licet. Lib. 17.

Libertas naturâ etiam brutis animalibus data. Lib. 20.

Etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliviſcuntur. Lib. 20.

Quàm decora victoribus liber- Lib. 3.

tas,

tas, eò intolerantior ſervitutis iterum victis.

Liberi Principum.

Lib. 20. Non legiones, non claſſes perinde ſunt firma imperii fundamenta, quàm numerus liberorum.

Leges.

Lib. 3. Leges in facta conſtituuntur, quia futura in incerto ſunt.

Lib. 15. Leges egregiæ exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gignuntur.

Lib. 15. Oratorum licentia Conciam rogationem, Candidatorum ambitus Julias Leges: Magiſtratuum avaritia Calpurnia ſcita pepererunt.

Lib. 3. Non utendum imperio, ubi legibus agi poteſt.

A legi-

A legibus delicta puniuntur. Lib. 2.

Lætitia.

Poſt breve ſilentium convivii lætitia. Lib. 13.

Luxuria.

Luxuria Principi oneroſa, inopia vix privato toleranda. Lib. 17.

Liberalitas.

Muneribus Principum non obnitendum, uterq; menſuram adimplet. Princeps quantum amico tribuere poteſt, hic quantum amicus à Principe accipere. Lib. 14.

Ubi adeſt ſimplicitas & liberalitas, & abeſt modus, in exitium vertuntur omnia. Lib. 10.

M.

Mors, Mortalitas.

Bonis felix honeſtæ mortis uſus, Lib. 1.
malis

malis inglorium exitium.

Lib. 3. Ludibria rerum mortalium junctis in negotiis obſervantur.

Lib. 13. Deeſſe nobis terra, in qua vivamus, in qua moriamur, non poteſt.

Lib. 17. Mors omnibus ex natura æqualis, oblivione apud poſteros vel gloriâ diſtinguitur.

Lib. 17. Si nocentem in nocentemque idem exitus manet, acrioris Viri eſt meritò perire.

Lib. 18. Nec quiſquam adeò mali expers eſt, ut non aliquam mortem mereretur.

Ex Vita Iulii Agricolæ Honeſta mors turpi vitâ potior.

Mora pœnæ.

Lib. 5. Subdola mora ſcelerum probationes & pœnas evertit.

Mari-

Maritus.

Viri in eo culpa eſt, ſi fœmina modum excedat. Lib. 3.

Mores.

Sorte & urnâ mores non diſcernuntur. Lib. 10.

Diutiùs durant exempla quàm mores. Ibid.

Mulier.

Non imbecillis tantùm & impar laboribus ſexus (ſi licentia adſit) ſævus, ambitioſus, poteſtatis avidus. Lib. 3.

Miſeratio.

Cùm accuſatores ac teſtes certatim perorant reſpondente nullo, miſeratio potiùs quàm invidia augetur. Lib. 3.

Medio-

Mediocritas.

Lib. 1. Retinendus, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modus.

Modeſtia.

Lib. 14. Modeſtiæ fama neq; ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur.

Metus.

Lib. 1. Nec quicquã grave ac ſerium ex eo metuendum, qui ſuorum ipſe flagitiorum proditor, non virorum animis, ſed muliercularum adrepit.

Lib. 4. Pavor internus, occupans animos, remedium adulatione quærit.

Lib. 17. Inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, qui timet, timetur.

Lib. 4. Metus exercitam quoq; eloquentiam debilitat.

Manda-

Mandata Principum.

Si velis, quod nondum vetitum eſt, timeas, ne verêre. Lib. 3.

Si prohibita impunè tranſcenduntur, neq; metus ultra neq; pudor eſt. Lib. 3.

Militia.

Militia res gravis & infructuoſa, denis in diem aſſibus anima & corpus æſtimatur, hinc veſtitus, arma, tentoria, hinc ſævitiæ centurionum, & vacationes munerum redimuntur: at herclè verbera & vulnera, dura hyems, exercitæ æſtates, bellum atrox, aut ſterilis pax. Lib. 1.

Miles.

Non eâdem virtute ac modeſtiâ agunt inopes ac vagi ſponte militiam ſumentes. Lib. 4.

Lib. 4. Qui vallum legionum tentant, facilè pelluntur.

Lib. 4. Infenſus miles memoriâ laborum, & adverſûm eludentes optatæ toties pugnæ, ſe quisque ultione & ſanguine explent.

Lib. 17. Legendus miles, non emendus.

Lib. 17. Milites, quorum favorem largitione & ambitu malè acquirunt, ita per bonas artes acquirere non ſpernant.

Lib. 4. Corporis veteres morbi & diu aucti non niſi per dura & aſpera coërcentur.

Lib. 17. Parendo potiùs quàm imperia ducum ſciſcitando res militares continentur.

Lib. 17. Militi arma, & animus ſit duci Conſilium & Virtutis regimen relinquendum.

Non per ſeditionem & turbas deſideria militum ad Cæſarem ferenda ſunt. Lib. 1.

Fluxa per diſcordias militum fides, & periculum ex ſingulis. Lib. 18.

Faciliùs univerſi impelluntur, quàm ſinguli vitantur. Ibid.

Tam neſcire quædam milites quàm ſcire oportet. Ita ſe Ducum authoritas, ſic rigor diſciplinæ habet: Pereunte enim obſequio etiam imperium intercidit. Lib. 17.

N.

Nuptiæ.

Subveniendum ſolitudini, dandus maritus habilis, adhuc ubi eſt juventa, neq; aliud probis quàm ex matrimonio ſolatium eſt in civitate. Lib. 4.

Lib. 11. Si maritandum Principem cunčti ſuadent, diligi oportet fœminam nobilitate, puerperiis, ſanctimoniâ inſignem.

Lib. 11. Fœdum eſt arripi conjuges ad libita, procul id a præſenti modeſtia ſtatutum documentum.

Lib. 11. Nova in fratrum filios conjugia, ſed aliis gentibus ſolennia, nec lege ullâ prohibita.

Nativitas.

Lib. 5. Plurimis mortalium primo ortu ventura deſtinantur, ſed quædam ignara ſecus cadunt fallaciis dicentium, & ita corrumpitur fides artis, cujus clara documenta & ætas noſtra tulit.

Lib. 17. Generari & naſci a Principibus fortuitum.

Lib. 6. Caſus prima ab infantia ancipites,

Non

Non perinde à Parentibus liberi quàm ab impudica adulteri mutantur. Lib. 11.

Nox.

Nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna. Lib. 4.

O.

Offenſio.

Quieti & ſolitudini abſunt tædia, & offenſiones ac præcipua rerum maximè agitantur. Lib. 4.

Otium.

Egreſſus ſenatum, vitam abſtinentia finiat. Lib. 4.

Obſequium.

Barbaris cunctatio ſervilis eſt, ſtatim obſequi Regi, Regium videtur. Lib. 6.

Ferenda regis ingenia. Lib. 12.

Lib. 13. Oblectamentis Principum, iniquum eſt, detrectare vim, ejus equos Regentis illudere voces, quoties canit.

Lib. 15. Plura peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus.

Lib. 17. Si ſingulis quærere liceat, pereunte obſequio etiam imperium intercidit.

Lib. 20. Sicut ſterilitas, nimii imbres, & cætera naturæ mala, ita luxuria & avaritia dominantium perferenda.

Lib. 20. Moneant fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quàm obſequium cum ſecuritate malimus.

Omen.

Lib. 6. Initia, conatus ſecunda non diuturna, ſed eorum, quæ terrâ cœlo-

cœlovè portenta ſunt, certior fides eſt. Nam fluminum inſtabilis natura: ſimul oſtendunt omina, rapiuntq́;.

Obtrectatio.

Obtrectatio & livor pronis auris accipiuntur: Quippe adulationi fœdum crimen ſpecies libertatis ineſt. Lib. 20.

Odium.

Cupido & odium multos exercitus in diſcordiam egêre. Lib. 18.

Proprium humani generis eſt odiſſe, quem læſeris. In Vita Iulii Agricolæ

P.

Potentia.

Arduum eſt, potentiam eodem loci & concordiam eſſe. Lib 4.

Nihil rerum humanarum tam in- Lib. 15.

ſtabile ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ non ſua vi nixæ.

Lib. 18. Nec unquam ſatis fida potentia, ubi nimia eſt.

Pecunia.

Lib. 17. Immenſa pecunia inter civiles diſcordias ferro validior.

Pericula.

Lib. 11. Imminentium periculorum remedium, ipſa pericula.

Pax.

Lib. 12. Non ſunt uſui crebræ mutationes, neq; res Romana huc ſatietate gloriæ provecta, ut non ſibi, ſed externis tantùm gentibus ſolam quietem velit datam.

Lib. 12. Militares artes per otium ignotæ ſunt, ſed induſtrios ac ignavos pax in æquo tenet.

Cruen-

Cruentæ epiſtolæ armis cohibendæ, miſera pax vel bello benè mutatur. Lib. 3.

In turbas & diſcordias peſſimo cuiq; plurima vis: Pax & quies bonis artibus indigent. Lib. 20.

Nemo adeò in arma promptus, ut non idem pretium quietis, quàm periculi malit. Lib. 20.

Poſteritas.

Nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoq; ætas multa laudis & artium incitamenta poſteris tulit. Lib. 3.

Socordia eorum irritanda, qui potentiâ credunt extingui poſſe ſequentis ævi memoriam. Lib. 4.

Quæ ſaxo ſtruuntur, ſi judicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris ſpernuntur. Lib. 4.

Lib. 4. Ætas etiam multum eloquentiæ dempſit, dum feſſâ mente retinet ſilentii impatientiam.

Lib. 17. Indifferens cura poſteritatis inter infenſos vel obnoxios.

Lib. 4. Suum cuiq; decus poſteritas rependit.

Pœnà.

Lib. 5. Sic à majoribus inſtitutum, ut ſi delicta anteiſſent, pœnæ ſequerentur.

Lib. 5. Inſidiæ in Republica, conſilia cædis adverſùs Cæſarem puniantur. De amicitia & officiis idem finis dominum & ſubditos abſolvit.

Lib. 15. Culpa quàm pœna prior eſt tempore, igitur emendari quàm peccare poſterius eſt.

Impu-

Impunitatis cupido magnis ſæpè conatibus adverſa. Lib. 15.

In bona uxore tantò major laus, quantò in mala plus culpæ eſt. Lib. 18.

Placita Principum.

Quidam tædio novæ curæ ſemel placita pro æternis ſervant, quidam invidiam, ne plures fruerentur. Lib. 1.

Sceleſta mandata aut non credent homines, aut non ignoſcent. Lib. 1.

Paupertas.

Pauperes ſi ſinguli pecunias cæperint, nunquam exatiabuntur, Reſpublica deficiet. Lib. 2.

Proſperitas.

Secundæ res acrioribus ſtimulis animam explorant: Quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Lib. 17.

Re-

Lib. 3. Revertentibus poſt laborem, num eſt honeſtius quàm uxor levamentum?

Providentia.

Lib. 2. Qui tenet exercitum, augeat vires, multa ſunt, quæ provideri non poſſunt, fortuitò in melius caſura.

Perſecutio.

Lib. 3. Haud perinde publicè uſui habitum quàm exitium eorum, quorum in pecuniam atq; famam damnationibus & haſtâ ſævitum.

Lib. 14. Sævitia melioris olim fortunæ recordatione levanda.

Lib. 17. Nobilitas, opes, omiſſi geſtiq; honores pro crimine & ob virtutes certiſſimum exitium.

Præ-

Præmium.

Præmia ſub Dominis pœnæ ſine arbitro ſunt. Lib. 1.

Tarda ſunt, quæ in commune expoſtulantur, privatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias. Lib. 1.

Ultio in delatores, præmia amicis conſtituta. Lib. 13.

Deſpicienda merita, tardèq; concedendum, quod datum non adimitur. Lib. 13.

Cruciatu aut præmio cuncta pervia. Lib. 15.

Certamen virtutis & ambitio gloriæ felicium hominum effectus. Lib. 15.

Virtus præcipuũ alimentũ famæ. Lib. 18.

Populus.

Nihil in vulgo modicum terrere, ne pa- Lib. 1.

ne paveant, ubi pertimuerint impunè contemni.

Lib. 14. Populo, cui minor ſapientia, ex mediocritate fortunæ pauciora pericula.

Lib. 17. Genus hominum potentibus infidū, ſperantibus fallax, quod in Civitate vetabitur, ſemper & retinebitur.

Lib. 17. Vulgus cujusq; motus novi cupidum.

Lib. 15. Eſt populus novorum cupiens pavidusq;.

Lib. 18. Municipale vulgus pronum ad ſuſpiciones.

Proditio.

Lib. 1. Proditores etiam iis, quos anteponunt, inviſi ſunt.

Princeps.

Lib. 4. Cæteris mortalibus in eo ſtant conſi-

conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diverſa ſors, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda, non eò decurrendum, quod promptum reſcriptu.

Virtutem unicam diu retinuit pietatem, cùm cæteras exueret. Lib. 1.

Cupidine ſeveritatis in his etiam, quæ ritè facit acerbus, unde ſubditi ſilentium & paupertatem confeſſioni & beneficio præponere ſolent. Lib. 1.

Principes mortales, Reſpublica æterna eſt. Lib. 3.

Principibus adeunda ſæpius longinqua Imperii. Lib. 3.

Satis ubi onerum Principibus, ſatis etiam potentiæ. Munitura gliſcit poteſtas. Lib. 3.

Ut cæ-

Lib. 4. Ut cætera fato & ſorte naſcuntur, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos.

Lib. 4. Nec occultum eſt, quando ex veritate, quando adumbratâ lætitiâ facta Principum celebrantur.

Lib. 4. Principis amicitiâ diu, proſperè & benè utendum.

Lib. 3. Non poteſt ſuâ ſcientiâ cuncta amplecti, neq; expedire, ut ambitione aliena trahatur.

Lib. 5. Abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere inlicitum & anceps eſt, nec ideò adſequare.

Lib. 13. Pleraq; in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis quàm telis & manibus geruntur.

Lib. 11. Cuncta legum & Magiſtratuum munia

munia in ſe trahens, Princeps materiam prædandi patefacit.

Bonarum artium Princeps ſordidis miniſteriis fœdatur. Lib 11.

Graviſſimi Principis labores, queîs orbem terræ capeſſat, egent adminiculis, ut domeſticâ curâ vacuus in commune conſulat. Lib. 11.

Formam futuri Principatus præſcribens, ea maximè declinet, quorum recens flagrat invidia. Lib. 13.

Tantò magis fovendus Princeps, qui unus ſupereſt è familia, ſummum ad faſtigium genita. Lib. 13.

Dum ſcelera & finis imperii adeſt, feſſis rebus ſuccurrendum. Lib. 15.

Optimus eſt poſt malum Principem dies primus. Lib. 20.

Pulcherrima quæq; urbs, domi- Lib. 17.

 bus

bus, & tectis & congeſtu lapidum ſtat: muta iſta & inanima intercidere ac reparari promiſcuè poſſunt. Æternitas verò rerum & pax gentium & Principis cum populo ſalus incolumitate ſenatus firmatur.

Lib. 18. Imperium juxta Deos in manu Principis poſitum eſt.

Lib. 20. Subinde in Principe vincit ratio parcendi, ne ſublata ſpe veniæ pertinacia accendatur.

Lib. 20. Laudatorum Principum ex æquo honor.

Peccatum.

Lib. 15. Plura ſæpè peccantur, dum demeremur, quàm cùm offendimus.

Prodigia.

Lib. 15. Prodigia iminentium malorum nuntia.

Q. *Quæ-*

Q.

Quæſtus.

Fides non manet integra, ubi magnitudo quæſtus ſpectatur. Lib. II.

Quòd ſi in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore. Lib. II.

Ubi inimicitiæ, accuſationes, odia & injuria foventur, ideò foventur, ut quomodo vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam ferat. Lib. II.

R.

Rex.

Arduum & ſubjectum fortunæ, regendi cuncta, onus. Lib. I.

Regibus æqua; nedum infima, inſolita ſunt. Lib. 2.

Reſpublica.

Lib.1. Unum eſt Reipublicæ corpus, atq; unius animo regendum.

Lib.3. Domeſtica Reipubl: mala triſtitiâ operienda.

Lib.4. Ita nati ſumus Reipublicæ, ut bona malaq; noſtra ad Rempublicam pertineant.

Lib.11. Paucis decus publicum curæ diſſerunt omnes, ſcelus externum cum lætitia habendum.

Lib.4. Nationes & Urbes, ubi populus aut primores aut ſinguli regunt, delecta ex his & conſtituta Reipublicæ forma, ſi laudanda, non tamen diuturna eſſe poteſt.

Lib.4. Pauci prudentiâ honeſta à deterioribus, utilia à noxiis diſcernunt, plures aliorum tantùm eventu

eventu docentur, eorumque conſilia, quamvis profutura, ita minimum oblectationis adferunt.

Reipublicæ nocumenta.

Juxtà adulatio & ſuperbia, palàm compoſitus pudor, intùs ſumma adipiſcendi cupido, ejusq; cauſa, modò largitio & luxus ſæpius induſtria ac vigilantia, haud minùs noxiæ, quoties parando regno finguntur. Lib. 4.

Infelix ſtatus, ubi juſſa ſæva, continuæ accuſationes, fallaces amicitiæ, pernicies innocentium tanquam eædem diverſo exitu cauſæ conjunguntur, obviâ rerum ſimilitudine & ſatietate. Lib. 4.

Languefcit induſtria, intenditur Lib. 4.

ſocordia, ubi nullus ex ſe metus aut ſpes, & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectant ſibi, ignavi, Reipublicæ mentis graves.

Lib. 13. Diſſolutio imperii metuenda, ubi fructus, quibus Reſpublica ſuſtinenda, diminuuntur.

Lib. 16. Divitiarum expectatio inter cauſas paupertatis publica eſt.

Lib. 17. Simul veritas pluribus modis infringitur, primùm inſcitiâ Reipublicæ, ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſùs dominantes.

Rumor.

Lib. 2. Relinquendum rumoribus tempus, quo ſeneſcant.

S. *Sedi-*

S.

Seditio.

Flagrantior inde vis, ubi plures ſeditioni duces. Lib. 1.

Dum ſuperſtitio urget, abjiciendi ex animo metus, ſublatis ſeditionis authoribus. Ibid.

Qui Pacem Belli amore turbant, Bellum Pacis caritate non deponunt. Lib. 18.

Scientia.

Ubi patet breve confinium artis & falſi, vera obſcuris teguntur. Lib. 4.

Sapiens.

Sapiens ambitum fori, corrupta judicia, ſævitiam oratorum, accuſationes minitantium increpat, abit, cędit urbe, curiam relinquit. Lib. 2.

Lib. 15. Sapienti viro non decorum fuerit, undè amico infamiam parat, indè gloriam ſibi recipere.

Sepultura.

Lib. 1. Ne hoſtes quidem ſepulturam invident.

Simplicitas.

Lib. 19. Simplicitas & liberalitas, niſi adſit modus, in exitium vertuntur.

Scelus.

Lib. 6. Poſtremò in ſcelera ſimul ac dedecora prorumpitur, poſtquam, remoto pudore & metu, tantùm ingenio vivitur.

Lib. 13. Puniendi rerum atrocium miniſtri, ubi pretia ſcelerum adepti, ſcelera ipſa aliis delegant.

Lib. 17. Peſſimus animorum habitus, ubi peſſimum facinus, audent

pauci,

pauci, plures velint, omnes patiantur.

Vitia erunt, donec homines. Lib 20.

Scelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt. Lib. 17.

Sævities.

Nocet antiquus rigor, & nimia ſeveritas, cui pares non ſumus. Lib. 17.

T.

Teſtamentum.

Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum, ignavo quæſtu, ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandaverit, exequi. Lib. 2.

Taciturnitas.

Fruſtrà ſilentium & fides in multis conſciorum animis & corporibus ſperandum. Lib. 11

Tyrannis.

Lib. 5. Sapiens affirmare ſolitus, ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: Quando ut corpora verberibus, ita ſævitia libidine, malis conſultis animus dilaceretur.

U.

Utilitas privata.

Lib. 1. Nequaquam decorum pudori ſuo legere aliquid aut evitare ex eo, cui in univerſum excuſari mallet.

Vanitas humana.

Lib. 3. Quantò plura recentium ſeu veterum revolvimus, tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obſervantur.

Vindi-

Vindicta.

Permiſſa vulgò licentia atq; ultio & ſatietas. Lib. 1.

Adſunt Dii juſtæ vindictæ. Lib. 13.

Virtus.

Virtus & fraus idem non dant effugium. Lib. 2.

Virtus ac gloria infenſos habet, ut animus ex propinquo diverſa arguens. Lib. 4.

Certamẽ virtutis & ambitio gloriæ felicium hominum affectus. Lib. 15.

Quædam virtutes odio, ideòq; ſeveritas obſtinata, invictus adverſus gratiam animus. Lib. 15.

Novæ aulæ mala aut gravia aut non æquè excuſata. Lib. 17.

Veritas viſu & morâ, falſâ feſtinatione, Lib. 2.

tione, & incertis valeſcit, relinquenda igitur fama,ut præveniat.

Lib. 18. Virtutum periculis objicere, nimis grande vitæ pretium.

Lib. 10. Virtus propriũ hominis bonum.

Lib. 20. Ut vultus hominum, ita ſimulacra virtutis imbecilla & mortalia ſunt: Forma mentis æterna eſt, quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, ſed noſtris ipſi moribus poſſumus.

Viciſſitudo rerum.

Lib. 11. Quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuêre: Inveteraſcet ſeculum noſtrum, & quod hodiè exemplis tuemur, inter exempla erit.

Ultio.

Ultio.

Tantò proclivius eſt injuriæ, quàm beneficio vicem exſolvere, ubi gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. Lib.19.

Vetuſtas.

Vetera extollendo recentium incurioſi ſumus. Lib. 2.

Victoria.

Decora victoribus libertas, intolerantior ſervitus iterum victis non diuturna. Lib. 3.

Externis victoriis aliena, civilibus etiam propria conſumuntur. Lib. 3.

Aliis prima ex ſimilitudine amicitia, aliis ex communione victoriæ eſt ſtabilita. Lib. 12.

Clara victoria in præſens eſt in poſterum uſui. Lib. 10.

Acrio-

Lib. 11. Acriore diſciplinâ victi quàm victores diriguntur, hos ira, odium, ultionis, cupiditas ad virtutem accendit, illi per faſtidium & contumaciam hebeſcunt.

Lib. 11. Aperit & recludit contecta victricium partium & tumeſcentia vulnera Bellum.

Lib. 3. Subeſt rebus cunctis quidam orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertuntur.

INDEX.

Adverſitas	pag. 4	Anima	4
Adulatio	ibid.	Animi bona	5
Adulatores	ibid.	Animus	4
Adulterium	3	Aſtrologia	6
Æmulatio	5	Atheiſmus	5
Ærarium	2	Audacia	2
Ætas	ibid.	Aulicus ſimulatus	5
Ambitio	6.7	Bellum	7
Amicitia	2	Beneficium	ibid.

Cala-

Calamitas 15
Cauſæ Rerum 16
Concordia 10
Conſcientia 15
Conſilium 10
Conſulatus 15
Corruptela 16
Cultus Divinus ibid.
Cunctatio 15
Delatores 19
Delictum ibid.
Deſidiæ 18
Detractio ibid.
Diffidentia 19
Dignitas 17
Diſciplina domeſtica. 21
Diſſimulatio ibid.
Divitiæ 20
Dolor animi 19
Dominatio 18
Dux Belli ibid.
Electio Principis 21
Eruditio 22
Exilium 21
Experientia 22
Fama 23
Fatum ibid.
Felicitas 24
Fortes ibid.
Fortuna ibid.
Funus 22
Generoſitas 25
Gloria ibid.
Gratia ibid.
Heros 26
Hiſtoria ibid.
Honor 25
Ignavia 29
Imperium 28
Improbitas 30
Indecora ibid.
Induſtria ibid.
Inertiæ Cenſura ibid.
Infamia 32
Injuria 30
Innocentia 29
Inſidiæ 31
Invidia 32
Ira ibid.
Judex 31
Juſtitia 32
Juventus 31
Lætitia 35
Leges 34
Liberalitas 35
Liberi Principum 34
Libertas 33
Luxuria 35
Mandata Principum 39
Maritus 37

Medio-

Mediocritas	38
Metus	ibid
Miles	39
Militia	ibid.
Miſeratio	37
Modeſtia	38
Mora pœnæ	36
Mores	37
Mors, Mortalitas	35
Mulier	37
Nativitas	42
Nox	43
Nuptiæ	41
Obſequium	43
Obtrectatio	45
Odium	ibid.
Offenſio	43
Omen	44
Otium	43
Paupertas	49
Pax	46
Peccatum	56
Pecunia	46
Pericula	ibid.
Perſecutio	50
Placita Principum	49
Pœna	48
Populus	51
Poſteritas	47
Potentia	45
Præmium	51
Princeps	52
Prodigia	56
Proditio	52
Proſperitas	49
Providentia	50
Quæſtus	57
Reipublicæ nocumenta	59
Reſpublica	58
Rex	57
Rumor	23.60
Sævities	63
Sapiens	61
Scelus	62
Scientia	61
Seditio	ibid.
Sepultura	62
Simplicitas	ibid.
Taciturnitas	63
Teſtamentum	ibid.
Tyrannis	64
Vanitas humana	ibid.
Vetuſtas	67
Viciſſitudo rerum	66
Victoria	67
Vindicta	65
Virtus	ibid.
Ultio	67
Utilitas privata	64

FINIS.